

illum semper, dum vixit, in pace et communione Ecclesie catholice. Cujus rei fidem facit epistola 52 S. Leonis papae ad ipsum et alios episcopos Gallie scripta, et horumce altera ad S. Leonem. Concilium item Reiese, cui adfuit, et cum caeteris subscripsit. Tum etiam quod ejus quocumque honorifica sit mentio in epistola evocatoria (a) synodi Arelatensis III, in qua transactum est de concordia inter Faustum abbatem insule Lirinensis et vicinos tres episcopos, quorum unus fuit Valerianus.

Homilie preterea istae ab annis xx, cum excusae Parisiis primum fuere, recusae postea in Germania fuerunt, et Lugduni non semel, lectaeque ab omnibus sine offensione et cum fructu, ac piam revera et religiosam doctrinam continent, utilemque imprimis ad stabiliendam invocationem sanctorum, et cultum sacrarum reliquiarum. Adeo ut non defuerit vir magni nominis, qui diceret scriberetque, quando in Germaniam allatae sunt, divina factum providentia videri, ut hoc potissimum tempore ad confutandos haereticos reperta sint. Neque hactenus apud nos auditum est quempiam praeter Denuntiorem existisse, qui earum lectionem non probaret.

(a) Tom. I Concil. Gallie, p. 120.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

IN S. VALERIANUM.

(Ex Bibl. Max. Vet. Patr. Gallandi t. X. et Bibl. hist. lit. Lat. Patr. Schönemannii t. II.)

I. §. Vita (Galland.).

Apud Gennadium, Isidorum aliosque scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores altum de VALERIANO silentium. Ex aliis itaque veterum monumentis repetenda, si qua sunt, quibus auctor noster utcumque notatur. Et primum quidem de ipsius episcopali sede inquirendum: hinc enim simul compertum fiet, qua tempestate claruerit sanctus antistes. *Oppidum Vediantiorum Cemelia*, ait Plinius (a), illudque cum Ptolemæo Italiae tribuit, quia uterque *Varo* flumine Italiae terminat, non *Alpe summa*, uti rectius Antonini Itinerarium, ubi Gallie assignatur: ad quem locum Wesselingium ad sis (b). « Et vero, inquit Sirmundus (c), ad Galliam pertinuisse Cemelum, praeter modo citatum Itinerarium, fidem sine controversia facit vetus Notitia civitatum Gallie, quae inter Alpium maritimarum civitates quae sub Ebruduno metropoli censentur, sexto loco numerat civitatem Cemelenensium: et Usuardus in Martyrologio pridie idus Malas; quo die sancti Pontii martyris natalem in Gallis civitate *Cymela* solemnem fuisse notat (d): ejus nimirum quem auctor noster saepius triplici homilia de bono martyrii, sed tacito semper nomine commemorat (e). » Quibus addenda ejusdem sancti Pontii Acta, Baluzii studio divulgata, ubi ad rem nostram haec habentur (f): *Fines Italiae transiens (Pontius) urbem sub jugo Alpium procul sitam petiit nomine Cymelam*. Porro haec urbs, ut scribit Sammarthianus (g), quae olim celeberrima fuit, tot cladibus a Vandalis, Longobardis et Saracenis attrita est, ut

A primaevasuae magnitudinis ne umbram quidem servaverit: (h) cujus hodieque prisca tantum rudera vestigia, nomenque haud procul Nicæa restat in colle quem Cemelam vocant.

Semel igitur Valeriani cathedra episcopali constituta, reliquum est ut quo tempore vixerit cum Sirmundo inquireamus. (i) « Mihi vero, inquit, ex cathedra ipsa Cemelensi deprehendere videor, situm sub annum Christi 450, hoc est, Leonis Magni temporibus floruisse. Post Leonem enim, Leonis ipsius decreto, ut Hilari papae verbis epistola 4 docemur. Cemeliensis civitatis et Nicæensis castelli episcopi diversi non fuerunt: sed iidem Cemelienses simul, quamdiu Cemela stetit, et Nicæenses. Quod videre est in synodo v Aurelianensi, cui Aetius presbyter directus a Magno episcopo Ecclesie Cemelensis et Nicæensis, subscripsisse legitur in antiquis exemplaribus quae integras ejus concilii subscriptiones habent: nam mutilae sunt in excusis. Quare Valerianum qui Cemeliensis tantum episcopus nuncupetur, ante Leonis decretum sedem illam rexisse oportuit. Atque ut quod sentio dicam, omnino Valerianum hunc ita esse conjicio, ad quem et alios vicinarum Gallie provinciarum episcopos, scripta exstat Leonis ejusdem epistola de Vasensis episcopi ordinatione (j), quam aeternae memoriae cardinalis Baronius ex Arelatensi codice divulgavit (k). Confirmorque in sententia, quod in illo episcoporum numero ingenuum video, Ebrudunensem, id est Valeriani Cemelensis metropolitanam antistitem. Sed et aliae duae sunt epistolae. Leonis una

(a) Plin. Hist. nat. lib. III. cap. 5.

(b) Wessel. Vett. Rom. Itiner. pag. 296.

(c) Sirmund. praefat. ad Valerian. homil.

(d) Usuard. Martyrol. sinc. pag. 81, edit. Paris. 1718.

(e) Valerian. homin. 15-16.

(f) Act. Pont. cap. 15 apud Baluz. Miscell. tom. II, pag. 134.

C (g) Sammarth. Gall. Christ. nov. tom. III, pag. 1268.

(h) Sirmund. l. c.

(i) Id. ibid.

(j) Leon. epist. 66 opp. tom. I, pag. 998, noviss. edit. Baluzii.

(k) Baron. ad ann. 450, § 57.

ad XLV episcopos Gallias, altera episcoporum eorumdem ad Leonem (a), in quibus Inganus et Valerianus pariter conjunguntur. » Hactenus Sirmondus: cui accedunt Tillemontius (b) atque Historia litteraria Gallicæ auctores (c).

De Valeriani gestis hæc Sammarthanus (d): « Anno 439 adfuit Reicensi concilio, in quo de negotio Armeniarum actum est. Accepta sancti Leonis epistola ad Flavianum (anno 451) cum aliis plurimis ad ipsum scripsit, illam summis laudibus extollens, eique se in omnibus assentiri professus est (e). Fuit etiam unus ex iis quibus respondit sanctus pontifex (anno 452) gratulatus ipsorum orthodoxam fidem, et Eutychem ac Dioscorum in concilio Chalcedonensi damnatos significans (f). Orta gravi controversia Theodorum Forojuliensem episcopum inter et Faustum abbatem Lerinæ quæ tunc ab ea diocesi pendebat, cum Valerianus noster et Maximus Reicensis, episcopi, partes in eo jurgio, et quidem Lerinensium, amplexi fuissent; Ravennius Arelatensis episcopus, tanto male remedium allaturus, in sua urbe concilium coegit ad 30 Decembris (g). Adfuerunt cum eo et Rustico Narbonensi undecim antistites: convenerunt quoque cum Lerinensibus monachis Maximus et Valerianus: non nominantur tamen inter iudices, forte quia ut partes ederant. Lis tamen amice composita fuit. Quo præcise anno habitum fuerit concilium istud, incompertum: certe inter annos 449, quo ad episcopatum evehctus est Ravennius, et 451, quo ad immortalam vitam nigravit. Annum assignat 455 Sirmondus, antea Tillemontius (h). Rivierius Carthusianus notat mentionem fieri anno 451 Valeriani Nicocensis episcopi. » Hactenus Sammarthanus. Benedictini autem ob hanc Lerinensem causam una cum Maximo Reicensi a Valeriano susceptam, non dubitant quin idem ille fuerit cum Valerio Lirinensi monacho, qui pro episcopo apud Nicenam cultus fuit ad diem 24 Julii (i). Quando obierit, incertum est.

§ II. Scripta. (Schœn.)

Tribuantur Valeriano huic *Sermones* XX et *Epistola ad Monachos, de Virtutibus et ordine doctrinæ Apostolicæ*. Sermones inscribuntur: I, *De bono disciplina*; II, III, *De arcta et angusta via*; IV, *De promissis et non redditis*; V, *De oris insolentia*; VI, *De otiosis verbis*; VII, VIII, IX, *De misericordia*; X, *De parasitis*; XI, *Qui gloriatur, in Domino gloriatur*; XII, XIII, *De bono pacis conservanda*; XIV, *De bono humilitatis*; D

A XV, XVI, XVII, *De bono martyrii*; XVIII, *De Machabæis*; XIX, *De Quadragesima*; XX, *De avaritia*.

§ III. Editiones. (Schœn.)

Valeriani nomen reparavit Melchior Goldastus ab *Haiminsfeld*, asserto ei ex mss. exemplarium fide *Sermone de bono disciplina*, qui antea incerto nomine inter Augustini Opera ferebatur, ab eo vero cum notis et emendationibus peculiari volumine editus est an. 1601. Huic decem annos post alias *undeviginti homilias* cum *epistola* in codice quodam Corbeiensi non admodum castigate scripto a se repertas adjecit *Jacobus Sirmondus*, non quod nomen Valeriani in mss. præferrent, sed ob styli similitudinem et sacundiam in utrisque parem. Ac huic quidem iudicio quamvis lubrico continuo ab omnibus assensum est, indeque tam in Bibliothecis Patrum, quam cum Leonis M. Operibus aliquoties, itemque cum accessione aliqua in Operum Sirmondianorum collectione et postremo a *Gallandio* hæc *Valeriani Opera* recusa sunt. Vix dum autem lucem aspexerant Valeriani Homilias, cum orthodoxia earum in dubium vocari cepit et Romæ apud sacrum tribunal delata fuerunt tanquam hæresi Pelagianæ affines. Simul Sirmondo quoque de *Sancti* prænomine, quod Valeriano indidisset, lis intendebatur. At ille ad utramque accusationem brevi scripto ad Sacrum Officiam transmissa respondit. Quo lecto ac probato nihil aliud decernendum censuerunt, quam ut notas in novam editionem compararet, in quibus de utroque accusationis capite satisfaceret. Suscepit autem seu rogatu Sirmondi, sive sponte sua uberiores hanc defensionem *Theophilus Raynaudus* ejusdem Societatis theologus. Certe Sirmondus cum iterum Valeriani famam in discrimen vocari audiret, in literis hac de causa ad Franciscum cardinalem Barberinum scriptis ad Raynaudum provocat, eumque adeo copiose et accurate utrumque præstitisse ait, ut præolare ad causam actum putet, quod operam hæc in re suam, a qua exspectari tale nihil poterit, studio suo diligentiaque prævertisset, et si nihil novi postea prolatum fuerit, quod severiorem sententiam requireret, postulet ut immotum maneat Sacri Officii decretum. Num vero Raynaudianum illud scriptum seorsim primum, an cum ipsius Valeriani quadam editione Lugduni proditum fuerit, non satis mihi liquere fateor (j). Attamen insertum est editioni Lugdunensi a. 1633 et sequentibus usque ad a. 1671, nec non in

(a) Leon. epist. 99 et 102, pag. 1107 et 1136 edit. citat.

(b) Tillam. Mem. eccl. tom. XV, pag. 125.

(c) Hist. littér. de la France, tom. II, pag. 329.

(d) Sammarth. l. c. pag. 1270 seq.

(e) Inter Leon. epist. num. 99, pag. 1107 edit. citat.

(f) Leon. epist. 102, pag. 1136 edit. cit.

(g) Conc. tom. V, pag. 23 edit. Ven-Labb.

(h) Tillam. Mem. eccl. tom. XV, pag. 125.

(i) Histoire litt. de la France, T. II, p. 329. De Valerio isto adundus *Vicentius Barralis* in Chronologia Lirinensi part. 1, p. 203, ubi ex monacho Lirinensi ad episcopatum Nicensem in Provincia assumptus

dicatur. Sed de epistola ejus, quam appellant *Historie litterarie Gallie* auctores, alium cum apud *Barralis*, tum alios, silentium.

(j) Ejusmodi editio, nisi prius locum habet, facta esse debet intra annos 1626 et 1632. Nam Epistola Sirmondi ad card. Barberinum data est *Parisii* 16 Augusti M. DC. XXXII. In ea vero scribit, delatum esse Valerianum apud iudices Romanos ante annos sex. Certe in editione a. 1623 non inest, et ipse Sirmondus in subjectis laudatæ epistolæ defensionis sue gratia brevitas capitalis non semel Lugduni ab annis xx (i. e. ab a. 1612, quo primum excusus fuit Parisiis istæ Homiliæ, ad a. 1632) *Valerianum esse typis descriptum* affirmat.

Veneta a. 1742, a bibliopola est additum. Sed jam de singulis videamus Valeriani editionibus.

SÆCULO XVII.

1601. (Genevæ) Excudebat Petrus de la Rouiere; in-8°. S. Valeriani Cimelensis episcopi de bono disciplinæ Sermo. S. Isidori Hispalensis episcopi de prælatiis Fragmentum. Melchior Hamenuetto Goldastus dedit eum collectaneis, in quibus multa pariter multorum auctorum, Patrum quam maxime, loca vel ante edita explicantur, vel noviter eduntur.

In duobus præfationibus ad lectorem, tum ea quæ textum antecedit, tum collectaneis præmissa Goldastus de momento horum librorum, disciplina nempe ecclesiastica disserit, partim veteris disciplinæ rationem declarans, partim servandæ aut amissæ recuperandæ præcepta tradens. Idem argumentum est epistolæ collectaneis pariter præfixæ ad Theodorum Bezam (datæ in ædibus Lecti a. d. 17 id. Quinctil. a. c. 13 c. stylo Juliano). In principio vero Collectaneorum ea exponit, quæ ipsum impulerint, ut Valeriani nomen huic sermone præfigeret. Scilicet jam Erasmus intellexit, Augustinum auctorem ejus non esse. Sed Goldastus demum hanc sententiam explanavit et argumentis roboravit. Probat quippe orationem utriusque auctoris longissime inter se discrepare. Nec vero ingenio doctrinæve Augustini aptum esse contendit, nec verisimile arbitratur, eum de una re unoque argumento variis et diversis libris (exstat enim opus ejusdem uberius de *Disciplina Christiana*) tractatum fuisse. Denique nec veteres agnovisse hunc partem, nec expositum sustulisse clarere ac manifestari ait vel ex uno Possidonii vel Possidii indiculo, in quo nulla de eo mentio, et quod nusquam in Sententiis a Prospero collectis, aut in Excerptis Eugypii, aut P. Lombardi Sententiis, nusquam denique in Confessione Augustiniana Hieronymi Tortansis acerrimi operum Augustini et conspicui propugnatoris laudetur. Quibus expositis sic ille pergit: *Itaque mea virtute nunc et comitate satis factum arbitror, ut auctorem ad Augustinum sermonem istum attinere numquam porro sis dicturus, de cujus vero patre et legitimo facile queas ad conjecturam evadere, si quinctum admittas γνόσιμα, quo veluti gnomone quodam libros veros et nativos a supposititiis decernamus. Hoc enim nec utile, nec tutum minus, ut ego quidem rationem capio, quam mihi ita dixere viri complures doctissimi, si codicum scriptorum fides bona, eorumque auctoritas digna. Nactus sum hujus sermonis vetustissimum et antiquissimum exemplar in scrinio nobilissimi viri, Bartholomæi Schobingeri IC. festivo parato cum a scriptis, tum a cæcis libris. Ejus hæc est inscriptio. INCIP. LIB. S. VALERIANI CIMELENSIS EP. DE BONO DISCIPLINÆ, Simul ac primum legi titulum nomenque libelli, adeo ad Bibliothecas Cunradi Gernerii, Josuz Simleri, Jacobi Frisii: Dicas Neptuni pecudes, ita mutant. In archivio monasterii S. Galli, e cujus peculio hic olim codex, velustissimi sunt librorum Indices, qui de hoc scriptore meminere. Catalogus S. Othmari primi sub Pipino Karoli M. patre abbatis: S. Valerii Cymelensis episcopi, etc.*

A In concilio Constantiensi optimam et præclarissimam librorum scriptorum partem Poggius Florentinus Romam et Florentiam. Æneas Silvius, qui pontifex post illa destinatus, Basiliam vi fraudibus distrazerant. Eo facinore commoniti et commoti fratres, reliquos a direptione codices signo monasterii obsignarunt, et Catalogo recensuerunt. In eo legitur: S. Valerii liber de Bono disciplinæ, etc. Eadem simul epigrapham cernas in cortice ipsius libri. Error, aut fallor, aut natus est affinitate nominum. Fuit Valerius episcopus Hippo-nensis, Augustini prædecessor, cujus hodieque exstat liber de Vita Monachorum. Volaterrano teste. Fuerunt et alii eodem nomine, quos nihil at tinet recensere. Significat deinceps, de Valeriani hujus ætate deque Cimelensi episcopatu ejusve situ haud quidquam se habere explorati. Usus est in contendendo hoc sermone Goldastus editione posteriori Basileensi Operum Augustini. Sed principio statim auctoritate manuscripti codicis sustulit distinctiones capitum, veluti inconcinnas et sensum scriptoris sæpiuscule perturbantes. Quod quidem jam Erasmus viderat, et rejectis eorum indicibus, notas numerorum satis habuit margini adjecisse. Sed Lugdunensis sive Genevensis potius editio postea recepit. Emendasse deinde se fatetur plurima in ipsa orationis serie atque contextu, quæ vel certissima ipsi viderentur, vel leviora magisque frivola, quam ut notarentur. Attamen plerarumque rationem exposuit. Notæ ejus sunt lectissimæ et rara eruditione refertæ.

C 1604. *Insulæ ad Lacum Acronium, ex off. Joannis Ludovici Brem; in-4°. S. Valeriani Cimelensis episcopi de bono disciplinæ Sermo; inter Paræneticos Veteres cum notis Melchioris Haminsfeldii Goldasti, ex bibliotheca et sumptibus Bartholomæi Schobingeri I. C. pagg. 7-39.*

D 1612. *Lutetiae Parisiorum, ex officina Nivelliana; in-8°. Sancti Valeriani episcopi Cimelensis Homiliæ XX. Item Epistola ad Monachos, de virtutibus et ordine doctrinæ Apostolicæ. Omnia primum, præter unicam homiliam, post annos plus minus mille ducentos in lucem edita a Jacobo Sirmondo Societatis Jesu presbytero anno MDCXII. « Valeriani episcopi præter homiliam de bono disciplinæ, inquit Sirmondus, quæ incerto antea nomine jaclabatur, paucisque abhinc annis auctori suo restituta est, nihil hactenus in lucem prolatum accepimus. Quas nunc damus reliquas undeviginti, celeberrimo antiquæ Corbeizæ monasterio debemus. Cujus unicum quo usi sumus, pervetus, sed parum castigatæ manus exemplar, etsi homiliam de bono disciplinæ non habebat, et civitatis nomen, in qua Valerianus episcopus sedit, non indicabat: facilis tamen ex styli argumentique similitudine conjectura fuit, has illius germanas sorores esse, omnesque ab uno et eodem Valeriano editas, episcopo Cimelensi. Neque hac in re quisquam ni fallor, repugnabit. . . Stylus quippe, optimus judicandi magister, characterque dictionis Valerianæ, gravis, inquam, ac splendida, et dignitatis succique plena facundia, quæ in his Homiliis elucet, satis hanc*

ejusquam dixi, ætatem prodit; illam scilicet, qua Eucherius Lugdunensis, Hilarius Arelatensis episcopi, Vincentius Lirinensis, Prosper et Salvianus presbyteri, Galliam nostram non dissimili eloquentiæ laude et gloria decorabant. Vellem modo emendatioribus, et quales disertissimus episcopus pronuntiarat, edere licuisset. Sed in tanta depravati codices labes optandum id magis fuit, quam sperandum. Fortasse autem quod prima hæc editio non potuit, altera præstabit. Cæterum de Cemeliensi episcopatu accuratissime, deque Valeriani persona, quantum licuit, disseruit. Inscripit Henrico Ludovico Castaneo Ruppeseo Pictavorum episcopo.

1618. *Coloniz Agr., apud Anton. Hierat; in-fol.* Valeriani Cemeliensis episcopi Homiliæ XX, ex editione Jac. Sirmondi; Eiusdem Epistola ad Monachos; in *Bibl. PP.* tom. V, part. III.

1623. *Lugduni, sumptibus Claudii Landry; in-fol.* Sancti Valeriani episcopi Cemeliensis (ad Nicæam Galliæ) Homiliæ XX, cum Epistola ad Monachos, de virtutibus et ordine doctrinæ Apostolicæ; cum Leone M., Maximo Taurinensi, Petro Chrysologo, Fulgentio et Asterio episcopo Amasæ. Præmittitur præfatio Sirmondi, sed absque nomine ejus. Perperam autem Fabricius tradit hanc editionem ipsum Sirmondum curasse.

1633. *Lugduni. . . . in-fol.* Valeriani. . . . Homiliæ XX, cum Epistola ad Monachos, etc. Theophilus Raynaudus Valerianum accurata defensione texit adversus Parcum Charitatis criminatorem; in *Heptade Præsulum Christiana Sapientia et Facundia Clarissimorum. Cf. Leonis M. Opera.*

1661. *Parisiis, apud Simeonem Piget; in-fol.* Valeriani. . . . Homiliæ XX, etc., cum Raynaudi defensione; in eadem Collectione.

1671. *Parisiis, sumpt. Petri Variguet; in-fol.* Eadem; inter eosdem Scriptores.

1677. *Lugduni, apud Anissonios; in-fol.* S. Valeriani. . . . Homiliæ XX, ex ed. Jac. Sirmondi; Eiusdem Epistola ad Monachos; in *Bibl. Max. PP.* tomo VIII, pagg. 498-523.

1685. *Parisiis, apud Franc. Muguet; in-fol.* S. Va-

leriani. . . . Sermo de bono disciplinæ: in *App. tom. VI Opp. S. Augustini* ed. Benedd. in exemplari Antwerp. col. 775-777.

1696. *Parisiis, ex Typographia Regia; in-fol.* S. Valeriani. . . . Homiliæ XX, etc.; inter *Opera Jac. Sirmondi* tomo I, pagg. 604-702. Addita sunt ex schedis defuncti: *Epistola ejus ad card. Barberinum* cum notationibus quibusdam ad duo illa objectionum capita; item *Testimonia quædam Patrum* ad calcem exemplaris sui ab eodem descripta, quibus palam fieri vellet, Valerianum in homilia 11, ubi cum Semipelagianis sentire visus est quibusdam, haud aliter tamen locutum esse; quam sanctos illos Patres haud dubie catholicos.

SÆCULO XVIII.

1742. *Venetiis, apud Augustinum Savioli; in-fol.* Sancti Valeriani Cemeliensis episcopi scriptoris dignissimi Homiliæ quotquot exstant. Accedit *Epistola ad Monachos* et defensio Theophili Raynaudi; cum *Operibus Petri Chrysologi* juxta editionem Dominici Mitæ ab hoc bibliopola recensis, pagg. 213-291. Abest tamen Raynaudi nomen, non fraude aliqua sed ignorantia forte bibliopole. Quippe non nisi in titulo generali editionum Lugdunensium et Parisiensium a Raynaudo esse scriptum fuit, quem advertere ille, sive is cui describendi operam mandarat, non operæ suæ esse duxit. Fefellit tamen hoc Oelrichsium, ut editori Veneto a. 1742 illam tribueret.

1774. *Venetiis, ex typogr. Jo. Bapt. Albrizzi; in-fol.* Sancti Valeriani episcopi Cemeliensis Homiliæ XX. Item Epistola ad Monachos de virtutibus et ordine doctrinæ Apostolicæ. Ex præclara editione Sirmondiana recensita et aliquot in locis emendata: in *Bibl. PP. et SS. Eccl. Vet. Andreæ Gallandii* tomo X, pagg. 123-158. Expressa est editio a. 1696. Accessere igitur Epistola Sirmondi ad Barberinum card. et alia, et inspersæ sunt Raunæi (de la Baune) emendationes cum nonnullis Casp. Barthii ex Adversariis et Cotelerii ex Monumentis Eccl. Gr. et Constitutionibus Apostolicis, nec non aliquot Gallandii conjecturis. In *Prolegomenis caput III* Valeriano dicatum est.

TESTIMONIA DE S. VALERIANO.

In exemplari VALERIANI editi a SIMONDO, reperimus ad calcem descripta postea ipsius Sirmondi manu hæc Patrum testimonia, quibus palam fieri vellet Valerianum in homilia 11, ubi cum Semipelagianis sentire visus est quibusdam, haud aliter tamen locutum esse quam sanctos illos Patres haud dubie catholicos.

METHODIUS Patavensis apud Damascenus in *Paralipomenis*.

Πάντος ἀγαθῆς πράξεως ἡ καταρχὴ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ βουλῇ κείται τὸ θεοῦ συμπέρασμα ἐν τῷ θεῷ.

Omnis bonæ actionis initium in nostra voluntate positum est: complementum vero in Deo.

CHRISOSTOMUS hom. 42 in *Epistolam ad Hebræos*.

Δεῖ γὰρ ἡμᾶς πρῶτον εἰσεῖναι τὰ ἀγαθὰ, καὶ ὅτε ἐλώμεθα ἡμεῖς, τότε καὶ αὐτὸς τὴν κατ'ἑαυτοῦ εἰσαγάγει. Οὐ.

προφθάνει τὰς ἡμετέρας βουλήσεις, ἵνα μὴ λυμῆνται τὸ αὐτεξούσιον ἡμῶν.

Oportet enim vos primum bona eligere, et postquam elegerimus, tunc avertit quæ sua sunt. Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium.

IDEM in hom. 2 in *Epist. ad Corinth.*

* Ἀπὸ τούτου ταῖντων μαθητόμεν, ὅτι καὶ ἐλπίσθαι μέλωμεν, ἀξιους προτέρον-παρέχειν ἡμᾶς ἑαυτούς χρητὴ καὶ

γὰρ ἕλεος ἔ, τοὺς ἀξίους τιμῶν οὐ γὰρ ἑκλῶς ἔπεισεν ἰπάσει καὶ τοὺς ἀναίσθητους διεκκεῖμῆσαι.

Ex quo nimirum intelligimus, quamvis Deus misericordiam erga nos adhibiturus sit, nobis tamen istud prius faciendum esse, ut misericordia dignos nos ipsos præstemus: quamvis enim misericordia sit dignos requirit: non etenim temere quibusvis obtinuit, etiam stupore laborantibus, etc.

HILARIUS in psalm. CXVIII, in Nun.

Voluntas nostra proprium ex se habere debet ut velit. Deus incipienti incrementum dabit, quia consummationem per se infirmitas nostra non oblinet, meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis.

OPTATUS lib. II.

Est enim Christiani hominis quod bonum est velle; et in eo quod bene voluerit currere: sed homini non est datum perficere: ut post spatia quæ debet homo implere, restet aliquid Deo ubi deficienti succurrat: quia ipse solus est perfectio: et perfectus solus Dei filius Christus. Cæteri omnes semiperfecti sumus: quia nostrum est velle, nostrum est currere: Dei perficere. Unde et beatus apostolus Paulus ait: Ne-

A que volentis, neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis.

HISCONYXUS lib. III contra Pelagianos pene initio.

Solito baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore et industria ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur: ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus.

AUGUSTINUS Enchirid. cap. 33.

Totum Deo dandum est qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non procedit ipsa, in eis est et ipsa.

B Ex veteri codice Floriacensi in quo varia antiquorum Patrum opuscula vel fragmenta.

Valerianus quoque Cameliensis episcopus in libro de Bono Disciplinæ: Bene, inquit, in omnibus causis timor obtemperat disciplinæ: qui pro hoc ipso quod imminentes periculorum casus aut iras iudicium evadere novit, potestatem conservandæ salutis obtinuit, et quæ sequuntur in homilia 1, n. 8.

S. VALERIANI

EPISCOPI GEMELIENSIS

HOMILIÆ XX.

I HOMILIA I.

De bonis disciplinæ.

1. Multi qui sanæ doctrinæ adversantur, justitiam culpant, et disciplinam imperium esse judicant, ac rationabilem castigationem superbiæ assignant: cum non sit imperium, nisi ubi aliquid jubetur injustum; nec sit superbia, nisi ubi negligitur disciplina. Disciplina inquit magistra est religionis, magistra veræ pietatis, quæ nec ideo increpat ut lædat, nec ideo castigat, ut noceat. Denique mors hominum irata corrigit, inflammata custodit, ita Salomone dicente: *Fili, ne deficias a disciplina Domini, neque fatigeris cum ab eo increparis. Quem enim diligit Dominus, increpat; flagellat autem omnem filium quem recipit* (Prov. III, 11). Nihil profecto est, quod non disciplina aut emendet, aut salvum faciat. Quam si quis sapiens apprehenderit, nec gratiam amicitiarum perdit, nec periculum damnationis incurrit. Nemo disciplinam irrationabilem putet, sub qua videt, universis quæ in cælo et sub cælo sunt verbo operante compositis, omnipotentis Dei stare consilium. In principio enim operis sui Deus nihil prius quam disciplinam fecit. Nam cum assistente Sapientia oculum suspenderet, terram paret et, maria concluderet, et suis locis suis-

C que temporibus cursum solis lunæque globum diserneret, omnia sub disciplina constituit. Quid autem non esset tenebrosum, quid non incompositum, quid non haberetur absurdum, nisi constitutis legibus cuncta starent elementa? Numquid sine disciplina agitur solis cursus? qui quamvis diurni itineris necessitatem infatigatus impleverit, ad officium tamen suum matutinus occurrit, et se in parte cæli quotidie terrarum spatia lustraturus ostendit. Tanta est disciplinæ ratio, ut intra temporum metas lege conscriptas ita indefessi itineris alternis vicibus siderum cursus agitetur, ut nec luna defectionis suæ, ac damna eflugiat, nec solem diurni luminis flamma destituat. Numquid sine disciplina est, quod tanti maris fluctus humili terrarum littore continentur, et in suo sinu frequenter incitata ventis altior aggere unda concluditur? Omnia profecto insipientis natura confunderet, nisi mundum disciplinæ ratio gubernaret.

2. Hæc ideo proposuimus dicere, ut disceretis obedire evangelicis præceptis et cælestibus obtemperare mandatis. Quid autem rationalem animam et ad Dei imaginem factam expediat, facile potest homo intelligere, cum videt sacratis per voluntatem Dei constitutionibus disciplinæ etiam elementa servire. Audite

* Illud ac importunum videtur.